

Die decimo quarto nil assumi & contigit prorsus idem, quod observavi die octavo, & nono.

Licuit igitur ex his concludere.

1mo pulvere in hunc promovere transpirationem, sudorem.

2do cum nil in me turbarit: eum tuto posse exhiberi ægris incipiendo ab exigua dosi.

3to. Convenire in iis morbis, ubi mäteries peccans per vias sudoriferas potest expelli.

Eodem tempore dum hæc meditabar, inter meos ægros habui sequentem cäsum.

EXPERIMENTUM I.

Homo, triginta aliquot annorum, mense Octobri 1761. febre tertiana laboravit.

Cu-

Curatus inde sat bene se habuit.

Mense autem Novembri eum ingens dolor corripuit, qui toti lateri dextro tanta vi insedit, ut æger nec manum, nec pedem movere potuerit; appetitus delebatur, & noctes factæ sunt insomnes.

In quartum mensem remedia omnis generis leniora ac fortissima tam externa, quam interna applicata sunt; ast effectus inde bonus nequaquam sequebatur, morbi status reddebatur pejor, & æger debebat lecto continuo inhærere.

Dolores per vices erant adeo vehementes, ut ægro copiosissimas lacrymas extorserint, fecerintque eum ejulare, instar illorum, qui crudeli tortura exercentur.

Præterea conquerebatur maximum dolorem in ipsis ossibus, ac partibus tendinosis.

Cum

Cum igitur exhibita remedia nequam juvabant, pulverem superius descriptum ex saccharo albo & aconiti extracto exhibui.

Dosis erat granorum decem mane & totidem vesperi, superbibendo vel juculum vel infusum qualemque.

Prima nocte sudavit æger copiose, quod ei antea non contigit.

Altero die exhibui eandem dosin, & dolores siebant multo mitiores, noctu æger iterum sudavit.

Sudor multum fœtuit, nec æger hoc sudore debilitatus est.

Tertio die jam ter dedi decem hujus pulveris grana.

Noctu iterum observabatur sudor.

Eadem dosi continuabatur tunc usque ad diem duodecimum.

Omn

Omni noctu corpus sudore maduit,
uti etiam de die, dum æger in lecto
fuit.

Et sexto die, æger jam ab omni
dolore liber fuit, & potuit extra le-
ctum ambulare; appetiit, tranquille
dormivit, alvum habuit quotidie na-
turalem, urina solito copiosius fluxit,
& multa gessit flocculamenta, & fila
mucosa.

Decimo tertio die, cum æger admo-
dum bene se haberet, abstinuit per
triduum ab hoc pulvere; advertit au-
tem quod tunc membra languerent,
dolorque iterum se aliquantulum in-
finuaret.

Suasi itaque, ut sine interruptione
adhuc per tres septimanas, quotidie
triginta hujus pulveris grana assume-
ret.

Exa-

Exakte sequebatur tunc meum consilium, & malum ita fuit emendatum, ut actiones omnes fuerint restauratæ, disparueritque macies, quæ aderat per universum corpus.

Ultimis binis septimanis, quibus hunc pulverem æger sumfit, nullus observabatur sudor.

Nec rediit dolor, dum cessavit uti hoc pulvere; jam nunc quatuor menses sunt.

EXPERIMENTUM II.

Homo, 27. annor. vehementissimo dolore ischiatrico a sex septimanis vexabatur, dolor tandem vehementissimus brachium dextrum invasit tanta violentia, ut æger diu nonque ejularit.

Ex.